

beati dompni et nostram ac supradicti concilij penam, si contra feceritis, procul dubio incurretis.

Data Spaleti in palacio Archiepiscopali die Martis XII Madij infra octauas beati dompni. Indictione sexta.

Orig. membr. in mea collectione Diplomatum originalium.

LXXV.

Anno 1285.

Radislaus, Comes de Glaas, Verbas et Sana (nunc in Croatia Turcica), agrum et insulam Tympor Abbatiae Toplicensi reddit.

Nos Radislaus, Comes de Glaas, Vrbaz et Zana, memoriae commendantes significamus universis, quibus expedit, praesentium per tenorem. Quod cum terra quae dicitur Insula Tympor, sita juxta fluvium Wn (Una), post obitum ipsius Tympor, Fratri Nostro Dyonisio Bano, bonae memoriae, et Nobis, mediantibus instrumentis Regalium Literarum remansisset. Nobisque eandem terram per plura tempora possidentibus pacifice, et tenentibus, nemini viventium de Nobilibus Regni Slavoniae contradicente, vel pro ipsa Nobis adversante, venerabilis Pater Fr. Jacobus dictus Abbas, et Conventus Ecclesiae Toplicensis, Litteras Privilegiales Domini Regis, super ipsa terra confectas, Nobis praesentaverunt, quorum tenore viso et intellecto, prout vidimus in ipsis Litteris plenius contineri, considerantes esse illicitum et incongruum, ut terra Ecclesiae Toplicensis, per Nos aliquvaliter occupetur, vel impediatur, reddimus eandem terram et restituimus Ecclesiae Toplicensi perpetuo rehabendam, et possidendam, eo modo: Quod nec per Nos, nec per Nostros successores, seu aliquos de Nostra generatione, aliqua impetio, quaestio, seu requisitio, pro terra praefata possit fieri contra Ecclesiam Toplicensem. In cujus rei testimonium praesentes Literas Nostras concessimus, pendentes Sigilli Nostri munimine roboratas. Datum Anno Domini Millesimo Ducentesimo octuagesimo quinto.

Ex Transsumpto Privilegiorum Abbatiae B. M. V. de Thopusko.